

## XV.

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & profundunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certae feriae, festa & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiae onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanae institutae ad placandum Deum, ad promerendam gratiam & satisfaciendum pro peccatis, aduersentur Euangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus, &c. institutae ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis inutiles sint & contra Euangelium.

## XVI.

De rebus ciuilibus docent, quod legitimæ ordinationes ciuiles, sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs, & alijs praesentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, ius iurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere vxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt haec ciuilia officia Christianis, Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fidei, sed in deserendis ciuilibus officijs, quia Euangelium